

*Lib. 14.
cap. 10.*

Legantur quæ de eo, alijsq; compluribus in libris simplicium medicamentorum cõmemorat. Oribasij sententia est, Mori quidem partes omnes, purgãtem & adstringentem, contrarias nimirum facultates obtinere: in cortice tamen radicis vim purgãtem eximiam: in fructibus immaturis adstringentem: in folijs & germinibus mediam vtriusq; temperiem inesse. Ita Tamaricem incidentis abstergentisq; facultatis esse, cùm tamen fructus eius & cortex, non mediocrem adstrictionem sint sortiti, vt ad gallã omphacitidẽ quàm proximè accedant. Oxylapathum discutiens quippiam & repellens habere, cuius semen perspicuè adstringat. Alimon, ait Aeginetha, dissimilium partium est, falsum & subastringens. Plurima ipsius pars calida temperatè, cum humiditate, quæ confici nõ potest. Bettonicæ autem romanæ radix vomitum concitat: folia aluum subducunt. Determinat Auicēna, ex medicamentis nõnulla, diuersarum partium esse, absq; mutua illarum commixtione. Sic corticem psylij potenter refrigerare: eiusdem verò medullã eximie

Lib. 7. c. 3.

Lib. 2. tr. 1.

cap. 1.

miè